Res etiam plerasq; ad suos, quibus quæq; gestæ sunt, annos retuli, quòd inde narrationibus ipsis non parum lucis accedere putarem. Notas *denig; breves ad quædam in his libris loca, quæ explicatione indigere visa, illustranda adjeci; in quibus sæpe satis mihi fuit, Lectorem ad ipsos Auctores, qui idem argumentum pertractarunt, brevitatis studio remittere. Textûs per capita distinctio ex MS. Lubecensi imprimis desumta est. Numerus capitum à* Reineccio *additus est. Nam in MSS. libris nullus numerus adscriptus reperitur. Error in illum numerum in Reineccii editione à Cap. XXXV. libri primi, usq; ad finem irrepserat: & à Cap. XII. libri secundi Arnoldi, usq; ad libri istius finem. Errore hoc sublato verum numerum capitibus restitui, additotamen & erroneo illo numero, ut minùs turbentur illi, qui loca à Scriptoribus recentioribus passim ex Helmoldi & Arnoldi priorib. editionibus adducta, inquirere & conferre cum ipsis fontibus horum Auctorum cupiant. Neq; enim caput ullum in Helmoldo aut Arnoldo exstat, quod non sæpe vel integrum, vel aliqua sui parte abiistis, qui aut de Ecclesiæ Christianæ per illa tempora, in his potissimum locis, statu, aut de rebus Slavicis & Saxonicis aliquid memoriæ dignum conscripserunt, usurpatum sit. In quibus omnibus si cordato & æquo Lectori minùs satisfecero, veniam libenter peto, et, si qua in re peccatum à me videatur, ut privatim et amicè monear, obnixè contendo. Quod eò faciliùs ab illis me impetraturum confido, qui meminerint, quiè quid operæ huic editioni impensum, id omne finitis ordinariis, quantumvis continuis laboribus, exantlandum fuisse.*